UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Incendium

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

Raptus commiſſus à fœmina, nec ipſa conſentiente non eſt impedimentum.

25. Raptus commiſſus à fœmina ſi rapiat juvenem per ſuos ad contrahendum cum illo non eſt impedimentum, & eſt probabilius: Sanch. & alii *p.10. tr.16. reſ.* 83. irritat tamen ſponſalia. Cornejo, & alii *ib. §. Sed ſic obiter*, & non dicitur raptus, ſi puella conſenſerit invitis parentibus. Mart. à S. Joſeph, & alii *ib. §. Nota hic etiam.* Vide *verb. matrimonium.*

INCENDIUM.

1. QUando caſu, vel fortuito inceditur domus conducta, non tenetur conductor, ad reſarciendum, cum neque de culpa leviſſima tenetur, cum nemo quæritur comburere, vel ſua bona. Ulpianus. Unde ſi famulus, qui fidelis ſemper extitit, & ſemper pro tali putabatur, & fuit cauſa incendii, non tenetur paterfamilias ad damnum domeſticorum, ſecus autem ſi talis non erat; & ſi pars domus quę comburitur deſtruatur, non tenetur ad reſtitutionem. Turrian. *p. 9. tr. 7. reſ. 31.*

Nec paterfamilias.

2. Si ſtabularius ignem, aut candelam in ſtabulo, focaria in culina, lotrices in lavatrina, aut tale quid deliquerunt. Pater familias de damno tenetur, niſi, ut dixi, famulus ille pro fideli, aut diligenti reputatus fuerit. In quo caſu non tenetur Pater familias. Sic Berlichius.

3. Adverte res in incendio periclitantes non haberi pro derelictis.

INCESTUS.

Inceſtus eſt illicitus concubitus inter conjunctos.

1. INceſtus eſt illicitus concubitus inter conſanguineos, vel affines in gradu prohibito, ſive ſit affinitas carnalis, de qua V. *Affinitas*, ſive etiam ſpiritualis, aut legalis, juxta dicta V. *Impedimenta. p. 3. tract. 4. reſ. 140. §. Non reticeam.* An coitus inter maſculos cognatos, ſit inceſtus, & an inceſtus in diverſa linea, & gradu ſint ejuſdem ſpeciei. Vide V. *Circumſtantia à num* 18.

Aliqui privant conjugem jure petendi debitũ.

2. Inceſtus cum conſanguinea uxoris in primo, aut ſecundo gradu, impedit virum à jure petendi debitum, in aliis gradibus non item, quia de his jus canonicum non diſpoſuit. Pontius *lib. 7 cap. 13. num. 6.* contra Comitolum *lib. 1. quæſt.* 138. *num. 2. part. 3. tr. 5. reſ. 19. part. 11. tract. 5. reſ.* 38.

Qui diſpenſari poteſt ab Epiſcopo. Et à Confeſſario Regulari per quodam privilegium.

3. † Poteſt autem talis vir ad debitum diſpenſari ab Epiſcopo †, & à Confeſſario Regulari ſecundum Lezanam *tom. 1. v. Affinitas, num. 4. & 5.* deputato tamen ſuperiore monaſterii ſpecialiter (quæ deputatio durat ad libitum ſuperioris, & per ejus mortem ſpirat) in Sacramento Confeſſionis, & in Religionis domibus ac Eccleſiis tantum. Idque ex quodam privilegio conceſſo Monachis Monaſterii S. Benedicti Congregat. Valliſoletan. Olim poterant hoc ipſum etiam extra Confeſſionem, extra propriam Eccleſiam, & probabiliter etiam abſque deputatione, ex oraculis Julii II. & Pii V. apud Rodriquez *tom. 1. qu. 63. art. 1.* ut docuimus, *part. 3. tract. 2. reſ. 14. & part. 5. tract. 13. reſol. 46.* in fine. Sed hodie hæc oracula non ſuffragantur, ſtante decreto S. D. N. Urbani *Aliàs felicis an.* 1631. omnia oracula revocante, *parte 6. tractat. 8. reſolut.* 32.

INDULGENTIA.

Indulgentia quid?

1. † INdulgentia eſt remiſſio pœnę temporalis pro peccatis actualibus debitæ extra ſacramentum facta ex theſauri Eccleſiaſtici diſpenſatione.

A quibus concedi poſſit?

A quibus non?

2. Indulgentias concedere poſſunt Papa, Cardinales, Epiſcopi, & Legati Pontificis, & Papa quidem plenarias, perpetuas, & per totum orbem: reliqui 40. tantum dierum (præter Cardinales, qui cōcedere poſſunt 100. dierum) temporaneas (præter Legatum, qui concedere poteſt perpetuas c. *fin. de off. leg.*) & unuſquiſque in ſua diœceſi, legatione, & provincia †. Concilium generale, Capitulum ſede vacante, Prælati inferiores Epiſcopo, etiam Epiſcopali juriſdictione gaudentes, aut Archimandrita, Indulgentias concedere non poſſunt Ita Faber *in 4. d. 19. quæſt. un. diſp 38. c. 5 num.* 148.

Am

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN